

GE. planissime. *DE.* îs nunc praemiumst qui recta prava faciunt.

GE. verissime. *DE.* ut stultissime quidem illi rem gesserimus.

GE. modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.

DE. etiamne [id dubiumst? *GE.* haud scio hercle, ut homost, an mutet animum.

10 *DE.* hem mutet autem? *GE.* nescio; verum, si forte, 775 dico.

DE. ita faciam, ut frater censuit, ut ũxorem ei(u)s huc adducam,

cũm ista ut loquatur. tu, Geta, abĩ prae, nuntia hanc venturam.—

GE. argentum inventumst Phaedriae; de iurgio siletur; provisumst nẽ ĩn praesentia haec hinc abeat: quid nunc porro?

15 quid fiet? in eodem luto haesitas; vorsuram solves, 780
Geta: praesens quod fuerat malum in diem abiit: plagae crescunt,

nisi prospicis. nunc hinc domum ibo ac Phanium edocebo nequid vereatur Phormionem aut ei(u)s orationem.

DE. Agedum, ut soles, Nausistratã, fac illa ut placetur nobis, ut suã voluntate id quod est faciundum faciat. *NA.* faciam. 785

DE. pariter nunc opera me adiuves ac re dudum opitulata es.

NA. factum volo. ac pol minu' queo virĩ culpa quam me dignumst.

